

lus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Si autem in illa persona quinta perfectis sapientiam loquebatur, quales solos iste dignos putat quos non fallat Apostolus; quare à contrario vult esse ipse perfectus, ut blasphemet Abraham, quem sic perfectus laudat Apostolus, maximè in illis duobus filiis ejus, uno de ancilla, alio de libera? Si displicet illi cum Ismaele Testamentum vetus; cum Isaac placeat Testamentum novum.

34. An & contra Apostolum propositurus est cathedram pestilentiae, & disputaturus de qualitate figurarum, atque diciturus, non eum debuisse figuras rerum honestarum de rebus turpibus ducere? Res enim turpis huic videtur, etiam cum ipsa Sara concubitus conjugalis, quam liberam matrem nostram aeternam

Gal. 4. 26. Jerusalem significare testatur Doctor gentium, quamvis narium rugas & frontis obducat, & crispato vultu hanc parabolam exhorreat doctor pestilentium: & multo amplius & aspernabilius, quando audit eundem gentium Doctorem, quod scriptum est de masculo & femina: *Erunt duo in carne una;* addere & dicere:

Ephes. 5. 31. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Itane verò ubi essent cognoscenda tantæ rei sacramenta, id est, sacra signa, & in re pudenda, atque in eis verbis quibus verecundia debetur, cognosci non debuisse nec dici, homo iste sciebat,

&
a Ita vetus codex Germanensis. Remigianus verò, Corbeiensis, & Colbertinus, quare contrarius vult esse ipse perfectus, ut blasphemet Abraham, quem sic perfectus laudat Apostolus. Editi, quare contrario vult esse ipse perfectus, ut blasphemet Abraham, quem sic perfectum laudat Apostolus.

& beatus Apostolus nesciebat? Eat planè iste retro cum suis similibus sociis, qui dixerunt: *Durus est hic sermo, quis eum potest audire?* Nos autem audiamus, & intelligamus duo Testamenta in duobus filiis Abraham, duabusque mulieribus ejus commixtione fetatis: sicut duos in carne una, Christum & Ecclesiam, istis nolentibus, sine ulla obscenitate cognoscimus: sicut mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fidei corde atque ore suscipimus: quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare quam perimere, & humanum sanguinem potare quam fundere: atque in omnibus sanctis Scripturis, secundum sanæ fidei regulam, figuratè dictum vel factum si quid exponitur, de quibuslibet rebus & verbis, quæ sacris paginis continentur, expositio illa ducatur, non aspernante, sed sapienter audiamus: & relinquamus istum inania garrientem, & nesciendo quid loquatur, quadam, si dici potest, imperita peritia de figurarum qualitate tractantem. Qui cum dicit rebus congruis non contrariis aliquid esse significandum, potest vanus dicere, semper Deum lucido auro, numquam nigro atramento scribi oportere; quoniam *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.* a Homo est enim, qui putat Apostolum, ut congrueret infirmis, & imperfectis, multa falsa & improbanda dixisse, quia testimoniis quæ de Lege ac Prophetis ponit, quam venerabiliter Scripturas illas accipiat per epistolas ejus apparet. Nec cogitat tam perverso sensu posse defendi

a Sic Am. & MSS. At Er. & Lov. Non est enim quod putet Apostolum.

di etiam illa, quæ in veteribus Dei libris immundus atque impius, quasi pius & mundus horrescit. Nam si ei quispiam dicat similis ejus: Ea quæ te offendunt in Lege ac Prophetis falsa sunt, sed propter infirmos & imperfectos sic ea Spiritus Sanctus poni voluit: quid pari suo vano contra hoc respondeat non habebit. Convincitur enim regula falsa, sed sua; nec sapientis ac docti, sed stulti, sicut ipse est, atque ineruditi manu, suo tamen gladio jugulatur.

CAPUT X. 35. POST hæc sanè sacrilegi & vani hominis sacrilega vaniloquia, quibus me respondisse sufficienter existimo: hoc est, de initio Geneseos; de lucis fabrica; de die vel sole; de causa constituendi hominem; de peccato Adæ; de fabrica hominis; de persuasu serpentis; de maledicto in homine, & de vitæ arbore; de pœnitentia Dei; de diluvio; de arcu in nubibus; de induratione cordis Pharaonis; de spiritu mendacii secundum Michæam prophetam; de testimonio Isaia prophetæ, propter quod ait: *Filios genui & exaltavi*; quibus rursum dicit: *Filii scelesti, semen pessimum*; & quod item apud eum scriptum esse dixit: *Ego sum Deus faciens bona & creans mala*; de perditione populi^a mandato Moysi; de maledicto quod turpe existimat; de Dei, quam putat, confessa crudelitate; de studio quod putat malitiæ, juxta David regem; de eo quod scriptum est: *Pœnitet me quod constituerim Saul in regem*; de spiritu Moysi, cujus Scripturas putat dixisse Apostolum fabulas aniles; de qualitate

3. Reg. 22.
22.

Isai. I. 2.

Is. 45. 7.

Exodi 32.
27.

a

I. Reg. 15.
11.

^a Am. & MSS. *mandata Moysi*. Non miuùs benè, ut patet ex lib. I. cap. 16. num. 28.

figurarum; de Abraham; de filiis Heli sacerdotis; de sacrificiis, quæ putat non nisi dæmonibus exhiberi; de Prophetis Dei, quos putat ante adventum Domini non fuisse; de eo quod in Lege positum est, sanguinem esse animam; de Deo cui Moyses servivit, quem putat Deum verum non fuisse; de varietate personarum, in quibus putat Apostolum locutum esse fallaciter: quæ omnia non hoc ordine persecutus sum, qui est in libro ejus; sed sicut nostræ disputationis sibimet connexa series postulavit:

36. POST hæc ergo omnia, titulum posuit ita se habentem: Discretio spirituum^a malignitatis & bonitatis. Et cœpit contrariis inter se brevibus crebrisque sententiis laudare Christum, & accusare Legis Deum, hoc modo, velut eum ad quem scribebat exhortans: „Quare igitur, frater, inquit, recedentes ab „iniquitate præteriti erroris, intendamus Christum verum ac summum Deum, non hujus „ sæculi principem & mundi factorem, in quo „ nos peregrinari sæpissimè declaratum est. „ Intendamus, inquam, illum pium ac mitem, „ qui nos suæ cognationis ostendens, mundi „ lumen vocavit: non illum qui secundum „ Scripturas judaicas terrenum nobis initium „ assignans, in terra nobis finem indixit. Intendamus illum qui nos fratres appellans, „ vigilare ac divina sapere persuasit: non illum „ qui nec dignoscentiæ quidem sensum habere „ permisit.” Atque hoc modo cetera multa contextuit.

CAP. XI.

a

37. Cui loco libri ejus ita respondendum putat

^a Allquot MSS. *maligni & bonitatis*. Fortè pro, *maligni & boni*.

putavi, ut etiam ego vos exhortarer. Intendamus Christum verum & summum Deum, veri & summi Dei unicum Filium, non hujus sæculi malignum principem, sed tamen mundi, hoc est, cæli terræque factorem, qui nos tamquam peregrinos vitam temporalem in hac agere mortalitate præcepit. Intendamus, inquam, illum misericordem ac mitem, qui nos fratres suos fecit gratia, non natura. Ipse est enim, non alius, sicut hic putat, qui secundum Scripturas terrenum nobis corpus, animam verò flatu dedit, utrumque faciens, non eorum aliquid gignens. Qui nos vigilare ac divina sapere jussit, & fecit. Ipse est enim, non alius, sicut hic putat, qui dignoscantiam boni ac mali ne peccando experiremur, admonuit. Qui nos ad immortalitatem vocans, cælestia nobis regna promisit. Ipse est enim, non alius, sicut hic putat, qui nos post peccatum reos, ab æternæ vitæ felicitate secrevit, & terreno labore punivit. Qui nos, non sicut iste dicit, nihil ignorare, sed utilia scire præcepit: nec, sicut iste sentit atque à veritate dissentit, scientiam damnavit in nobis, quæ fit sapiendo justitiam, sed quæ fit experiendo peccatum. Qui nos quòd errore moriebamur miseratus est. Ipse est enim, non alius, sicut hic putat, qui nos morti, non ex quo sapere coepimus, quod iste ait, sed ex quo deliquimus, destinavit. Qui nos proprias facultates hortatur spernere, imò verò loco tutiore recondere: cum ipse sit, non alius, ut hic putat, qui se non tantum cælestium, verum etiam terrenorum Dominum ostendens, ea quæ impii possidebant, exspoliatione ^a plecten-

Matth. 6.
19. 20.

^a Vatican. codex, *plectendo.*

tendi, suos, quibus hoc pro tempore congruebat, auferre atque habere, sive jussit, sive permisit. Qui donat delicta conversis: cum ipse sit, non alius, ut hic putat, qui in tertiam & quartam progeniem retribuit digna perver-
sis. Qui non omnium, sicut iste ait, sed eorum quos ante præscivit & prædestinavit, delicta dimittit. Ipse est autem, non alius, sicut hic putat, qui delicta quorundam, ad pœnalem animi dolorem terroremque majorem, etiam illorum qui ea non admiserant, non spiritalibus, sed corporalibus mortibus vindicavit, ut conditio mortalium qua fuerant post paululum morituri, etiam isto modo serviret Dei providentiæ, & in usum cederet disciplinæ. Qui nos non in totum irasci prohibuit, quandoquidem & ipse iratus est, ubi oportuit: sed irasci, & non peccare præcepit. Ipse est autem, non alius, non qui vindicandi causas, sicut iste affirmat, inquit; sed ^a vindicandas causas, quando ipse novit, advertit. Qui nos, ne quando juraremus, monuit: ut quoniam falli possumus, longe simus à perjurio non jurando. Ipse est autem, non alius, ut hic putat, qui suæ sententiæ veritatem ad incredulos increpandos, ubi opus esse judicavit, etiam jurando firmavit. Sicut autem homo jurans adhibet testem Deum, ita se ipsum Deus. Qui nos in fide verbi veri stare jussit. Ipse est enim, non alius, sicut hic putat, non qui voluntatem suam, sicut iste blasphematur, sed qui res quas voluit, non mutatà voluntate mutavit. Qui nos viam veritatis docuit. Ipse est enim & Deus Prophetarum, qui numquam, sicut iste calumniatur, falsis promissionibus

^a Plures MSS. *judicandas causas.*

suos decipit. Qui nos irreprehensibles esse mandavit. Ipse est enim & Deus Prophetarum, qui numquam, sicut iste criminatur, se ipse reprehendit, nec eum sicut hominem quidquam pœnituit: sed rerum futurarum mutationem, quas se mutaturum sine ulla sui mutatione ab æternitate præcivit, velut humana hominibus locutione prædixit. Qui nobis iram Dei metuendam & in Evangelio commendavit. Ipse est enim & Prophetarum Deus, qui non sui animi perturbationem, sed justam severamque vindictam, iræ vel indignationis nomine nuncupavit. Qui alterum ab altero non utcumque lædi, sed injuria lædi noluit. Ipse est enim & Prophetarum Deus, qui sive per homines, sive per Angelos sanctos, etiam temporalibus corporum mortibus, quos voluit, utiliter aut multavit, aut terruit. Qui docuit ad concupiscendum non videndam esse mulierem. Ipse est enim qui & in Lege dixit: *Non concupisces*; nec, sicut iste criminatur, indixit septenas singulis nuptias, sed propagandi causa connubia casta permisit. Patres autem filiarum maritos non solum ipse non fecit; verum etiam ne fieret, sicut alia incesta, prohibuit. Qui nos secundum interiorem renovationem in spiritu mentis, nec masculos in se, nec feminas esse docuit; & sicut Angelos in æternum secum futuros esse promisit. Ipse est enim & Prophetarum Deus, qui masculum & feminam propagandi generis causa nuptiali castitate conjunxit; & secundas nuptias, quæ in novo quoque Testamento permittuntur, licitas esse monstravit. Uxores autem fratrum, sed sine filiis defunctorum, ad excitandam * defuncti posteritatem, non libidinis, sed pietatis affectu,

Matth. 5.
28.

Exodi 20.
17.

* f. defunctis.

in

in matrimonium sibi copulare præcepit: patres verò filiarum conjugis misceri omnino prohibuit. Qui nos super omne genus serpentum calcare spiritaliter jussit. Ipse est enim & Prophetarum Deus, qui populo infideli ad significanda peccata, quorum veneno invisibiliter moriebantur, visibiles serpentes, quibus admonerentur, immisit; & plaga emendatoria mortes animarum, mortibus corporum figuravit. Qui dixit: *Date eleemosynam*; & *ecce omnia munda sunt vobis*. Ipse est enim & Prophetarum Deus, qui talia etiam Prophetarum voce mandavit. Nec sibi voluit primogenitos hominum filios immolari, sed consecrari: significans primogenitum à mortuis, in quo oportebat omnes à morte perpetua liberari. Qui corruptilibus cibis incorruptibiles anteposuit. Ipse est enim & Prophetarum Deus, qui sacrificia, quibus non indiguit, ad significandum verum sacrificium in umbris futurorum præcedere voluit; & disciplinae severitate mortibus corporum, longè mitioribus quàm sunt æterna supplicia gehennarum, penetrata sacrilegia vindicavit. Qui terrenas divitias, non sicut iste dicit, damnari jussit, sed spirituales cælestesque præposuit. Ipse est enim & Prophetarum Deus, qui facit & divites benignissimè largiendo, & pauperes justissimè vel non dando, vel auferendo. Qui nos pro inimicis orare jussit. Ipse est enim & Prophetarum Deus, qui filios parentum manibus immolari sibi, ut iste criminatur, non solum numquam voluit, verum etiam ne id fieret, in Lege constituit. Qui sine acceptione personarum beneficiendum omnibus intinavit. Ipse est enim & Prophetarum Deus, qui quando sine discretionem ætatis aut sexus oc-

Luc. 11.
41.

TOM. II.

v

ci-

cidi homines jussit, unde scit iste vel quisquam, quid eis post mortem bonæ compensationis adtribuit, quorum mortibus viventes aut emendavit, aut terruit? Qui nos æquo animo injurias sustinere, & donare præcepit. Ipse est enim & Prophetarum Deus, qui oculum pro oculo, dentem pro dente, modum posuit pœnæ, ne quisquam sibi amplius putaret deberi vindictæ, quàm pertulisset injuriæ. Et hoc ideò, quia de sapientia Dei dictum est, quòd *Legem, & misericordiam in lingua portet*. Nec per misericordiam debita debitoribus nostris scienter dimitteremus, nisi per Legem ipsa debita^a discerneremus. Qui in tanta postestate se humilians ad^b convertendos nos factus homo, cum hominibus est locutus. Ipse est enim & Deus Prophetarum, qui cum primis patribus est locutus: ideò præter se dicens non esse alium Deum, quia etiam summa Trinitas, manente personarum^c discretionem, unus est Deus. Qui Apostolis suis ut gratis darent quæ gratis acceperant, jussit: ad sustentationem tamen suam nec aliam tunicam secum ferre ideò constituit, quia secutus adjunxit: *Dignus est enim operarius mercede sua*; ut qui Evangelium annuntiabant, ex Evangelio viverent: Deo tamen munera offerenda esse monstravit, qui nullius indiget, & munera sumendo plus confert. Ipse est enim & Prophetarum Deus, qui & munera suos accipere vetat, quibus excæcantur oculi judicantium; & munera ipse, quamvis non egeat, accipit, ut pietate faciat opulentas animas of-

Matth. 10.
8.

Ibidem 10.

1. Cor. 9.
14.

^a Plures MSS. *disceremus*.

^b In præstantioribus MSS. *ad confortandos nos*.

^c In hisdem MSS. *personarum proprietate*.

offerentium. Qui sabbatis hominem curavit, ostendens jam esse tempus, ut secundum prophetiam Cantici canticorum adspiraret dies, & removerentur umbræ. Ipse est enim & Prophetarum Deus, qui hominem ligna sabbatis colligentem,^a quia nondum duorum^a Testamentorum tempora distinguebat, sed Legem Dei contumaci & impia mente contemserat, lapidandum esse mandavit; ejusque corporali morte (quam post paululum omni homini quis dubitet adfuturam?) sanxit timore obedientiam ceteris profuturam. Qui propter salvandos homines se venisse dixit. Ipse est enim & Prophetarum Deus, qui justo iudicio quos vult obdurat: ^b sicut in Evangelio: *Venit in iudicium*, non solum *ut qui non vident, videant*, sed etiam *ut qui vident, cæci fiant*. Qui mandata vitæ perpetuæ nobis dedit. Ipse est enim, & Prophetarum Deus, qui mandata sancta & justa & bona, superbis tamen, non de ipsius gratia, sed de sua virtute fidentibus, non quibus viverent, sed quibus morerentur, ut convincerentur dedit. Sicut Apostoli, dicente uno ipsorum: *Bonus odor Christi erant, & in his qui salvi fiebant, & in his qui peribant; aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem*. Qui vitiatorum salus apparuit, dans incessum claudis, linguam mutis, auditum surdis, lumen cæcis. Ipse est enim & Prophetarum Deus, qui eadem vitia non solum misericordissimè sanat, verùm etiam justissimè importat. Neque enim debet eum quisquam, non minùs impia vani-

Cant. 2.
17.

Joan. 6.
39.

2. Cor. 2.
15.

v 2 ta-

^a Allquot probæ notæ MSS. *non quia duorum*.

^b Sic MSS. At editi, *qui, sicut in Evangelio ait, venit in mundum, non solum, &c.*

tate, Christo putare contrarium, & istum bonum dicere, Christum autem malum; eo quod iste in virga Aaron aridum lignum, & nulla radice subnixum, florem ferre fecit, & fructum; Christus autem arborem maledicto arefecit, quia nihil in ea pomorum, quorum nondum erat tempus, invenit.

CAP. XII. 38. DICENS autem alium esse pacis & caritatis patrem, alium belli & furoris auctorem; illum volens intelligi Christum, hunc autem Legis & Prophetarum Deum: potest vanus dicere, ipsum Christum sibi esse contrarium, aut duos fuisse, non unum, inter se scilicet repugnantes; alium qui dixit: *Pacem do vobis*; & alium qui dixit: *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium*; maxime quia displicet ei, res aliquas bonas malarum nominibus figurari. Quod verò alium dicit esse incestus & adulteriorum conscium, alium verò pudicæ castitatis & sanctimonix dominum: illum diabolum intelligat; Prophetarum autem Deum noverit non minus castitatis & sanctimonix dominum esse quam Christum: quia Deus Apostolorum idem ipse & Prophetarum, priorum illis tempore, sed fide sociorum; ipse est Deus in utroque Testamento justus actus & piarum orationum, ipse est in utroque auctor religiosorum sacrificiorum.

39. Videte sanè unde probare voluerit humanorum corporum vitia, non ad Deum auctorem, sed potius ad diabolum pertinere: quia Dominus ait in Evangelio, de muliere quam sanam fecit, quod eam satanas alligaverat decem & octo annos; propter quod erat incurva, nec se erigere poterat: quasi satanas, cum habeat semper cupiditatem nocendi, nocere cuiquam possit, nisi ab omnipotente acceperit

rit potestatem. Nam quid aliud, non solum in libro Job, quem profectò iste non accipit, sed magis in ipso Evangelio declaratum est, ubi spiritus immundi nec in porcos irent, nisi hoc illis benignus ipse Salvator petentibus, quos certè in abyssum posset relegare, concederet? Rem necessariam docere nos volens, ut scilicet noverimus multo minus eos posse sua potestate nocere hominibus, qui nec pecoribus qualibuscumque potuerunt. Hanc autem potestatem Deus bonus occulta nobis justitia dare potest, injustè non potest.

40. Deinde quod de Antichristi adventu, & elatione impia dixit Apostolus, vult iste ad hoc trahere, ut ipsum intelligamus Prophetarum Deum: unde potius convincitur illud Dei esse templum, ubi hominem peccati, filium interitus, extollentem se super omnem Deum, & super omne quod colitur, Apostolus sesurum esse dixit. Deus enim verus est, in cuius templo falsus ille sesurus est: ad quem pertinet etiam iste, qui sub nomine Christi, quod est nomen Dei, hoc est, Christianum se videri volens, superextollitur contra Christum; seque ostendit Antichristum, non unum illum majorem ceteris, sed ex his aliquem, de quibus dicit Joannes Evangelista: *Nunc Antichristi multi facti sunt*. Eos enim dicebat hæreticos, qui temporibus Apostolorum esse jam coeperant. Hi autem coeperunt esse post adscensionem dumtaxat in cælum Domini Jesu-Christi, ab illo Simone mago, quem legimus in Actibus Apostolorum baptizatum. Post hunc autem fuerunt nonnulli discipuli ejus, in eadem impietate posteriores prioribus succedentes: quorum in successio-

a sione quartus exstitit, a Basilides, qui primus apertius ausus est dicere, Deum quem gens Judæa coluit, non fuisse verum Deum. Post istos fuit quidam etiam Carpocrates, qui negavit istum visibilem mundum a summo Deo creatum, sed à quibusdam virtutibus b dæmoniorum: negans etiam Legem, quæ per Moysen data est, Deum dedisse. Cerdon post eam surrexit, qui primus invenitur dixisse duos deos, unum bonum, & alterum malum, longè antequàm hæresis manichæorum emerisset, quorum in hoc furioso deliramento error est notior. Hujus Cerdonis Marcion discipulus fuit. Apelles quoque talia docuit. Fuerunt etiam à quodam Patricio nonnulli patriciani, c vel sunt similiter adversantes divinis veteribus libris. Hi omnes apertissimè contra Deum sentiunt Legis & Prophetarum, hoc est, Deum verum, à quo factus est mundus. De aliqua istorum hæresi est iste: nam non eum puto esse manichæum.

41. Sed cujuslibet sit hæretici erroris, vel ipse, vel Fabricius, nescio quis, cujus se gloriatur esse discipulum, quantum ad hunc librum adinet quem misistis, satis ei puto esse responsum. Ea quippe furoris ejus dejecta sunt robora, ex quibus omnes, quas in eo volumine scripsit, blasphemiam pullularunt, impiissimis in Deum maledictis atque conviciis, varia loquacitate frondentes. Quarum omnes singillatim ramos ferire, nimis longum fuit: sed radices ipsæ fuerant amputandæ. Si autem

re-

a Vetus cod. Remigianus, *Basilides*.

b In MSS. *virtutibus deorum*.

c Lov. *qui sunt*. Editi alii, *vel sunt*: his consentiunt MSS. in quibus loco *patriciani*, legitur *patricini*.

recenseatis quæ contra Faustum manichæum scripsimus, & contra Adimantum, qui Manichæi sectator, cum ille viveret, fuisse jactatur, multa reperietis, quæ adversus istum pariter valeant. Et fortassè si illa legerentur, vel non omninò, vel non multum necessarium fuisset hæc scribere.

42. Sanè post finem libri, in quo fine paucitatem hominum in suo errore commendat, quia videlicet paucorum est sapientia (quod omnibus hæreticis adversariis Ecclesiæ catholice, quæ per omnes terras copiosa fertilitate diffunditur, in sua cuique propria vanitate commune est; omnes enim de paucitate gloriantur, a & ut seducere possint, multitudinem quærunt) post hunc ergo finem libri, rursus alterius apparet exordium, ejusdem forsitan hominis auctoris, ejusdem tamen quod non dubitatur erroris. Disputare autem cœperat, quòd caro alium haberet fabricatorem, non Deum: unde cum perpauca dixisset, in ipso exordio cœpta finita sunt. Sed utrùm ipse auctor, an scriptor codicis non potuerit implere quod cœperat, nescio. De hac tamen dementia hominum non considerantium quid loquantur, adversus manichæos multa jam scripsimus. Et in hujus ipsius operis initio idonea, quantum existimo, jacta sunt fundamenta, quibus prudens & pius lector intelligat, non ideò subtrahendam carnem operibus Dei, quòd spiritus natura sit potior; nec ideò mala esse ista temporalia, quia meritò eis præponuntur æterna; nec ideò bona terrestria detestanda, quia sunt coelestia me-

v 4

lio-

a Ita in MSS. At in editis, & *seducere si possint, multitudinem quærunt*.

lora : cūm Deus creaverit omnia bona , magnus in magnis , sed non parvus in parvis . Jam illud aliud , quod in eodem codice scribi cœperat , Adimanti opus est , illius discipuli Manichæi , qui a prænomine Addas dictus est : ubi de utroque Testamento velut inter se contraria testimonia proferuntur verisipelli dolositate , velut inde ostendatur utrumque ab uno Deo esse non posse , sed alterum ab altero . Contra hoc autem malignum machinamentum jam olim scripsimus , ut paulò ante commemoravi , & ipsum Opusculum nostrum habere vos credo . Quamvis quædam sint perpauca in fine ipsius operis Adimanti , quibus non respondi , nescio quibus enim , ut fieri solet , incurrentibus , quæ magis videbantur urgere , illa interrupta sic remanserunt . Sed ut dixi , in fine perpauca sunt , quæ si Dominus voluerit , quantocius explicare curabo .

IN SUBSEQUENTEM LIBRUM.

LIBRI I.

RETRACTATIONUM

CAPUT XXII.

^b Eodem ^b tempore venerunt in manus meas quædam disputationes Adimanti , qui fuerat Ma-

^a Sic antiquiores MSS. At editi , qui proprio nomine *Addas*.

^b Presbyteratus nimirum sui tempore dictavit subsequentem librum , quem in Retractationibus aliquantò post concionem de Fide , & Symbolo in hipponensi concilio ann.

Manichæi discipulus , quas conscripsit adversus Legem & Prophetas , velut contraria eis Evangelica & Apostolica scripta demonstrare conatus . Huic ergo respondi verba ejus ponens , eisque reddens responsionem meam . Quod opus uno volumine conclusi , & in eo quibusdam quæstionibus non semel , sed iterum respondi , quoniam quod primum responderam perierat , & tunc inventum est , cūm jam iterum respondissem . Aliquas sanè earumdem quæstionum popularibus ecclesiasticis sermonibus solvi , adhuc etiam quibusdam non respondi : aliquæ remanserunt , quæ rebus aliis magis urgentibus prætermissæ sunt , cumulo quoque oblivionis adjuncto .

2. In hoc ergo dixi : *Certis enim quibusdam umbris , & figuris rerum ante Domini adventum secundum mirabilem atque ordinatissimam distributionem temporum populus ille tenebatur , qui Testamentum vetus accepit : tamen in eo tanta prædicatio , & prænuntiatio novi Testamenti est , ut nulla in Evangelica atque Apostolica doctrina reperiantur , quamvis ardua & divina præcepta & promissa , quæ illis etiam libris veteribus desint .* Sed addendum erat , penè , atque dicendum : ut penè nulla in Evangelica atque Apostolica doctrina reperiantur , quamvis ardua & divina , præcepta & promissa , quæ illis etiam libris veteribus desint . Quid est enim , quod in sermone Evangelico in

ann. 393. habitam collocat , inter illa videlicet Opuscula , quæ ad annum 394. aut 395. pertinent . Hujus etiam contra Adimantum operis meminit in fine libri 2. contra Adversarium Legis & Prophetarum , ubi nominato Adimanto Manichæi discipulo , subdit : qui prænomine *Addas* dictus est .